Caput II.

De librorum, quibus Aeschyli Supplices continentur, familiis.

Accedimus iam ad antiquiorum librorum indolem explorandam; de qua re ut rectius faciliusque iudicetur, ante omnia id agendum est, ut pervestigata similitudinis atque differentiae ratione familiae quaedam constituantur. Idem argumentum breviter tractavit Ahrensius „de caussis quibusdam Aeschyli nondum satis emendati“ p. 3 — 6., cuius sententiam hodie a viris doctis (velut a Bambergero in Praef. ad Choeph. p. VI.) fere probari video, quanquam non ex omni parte veram. Qui quod codicem Mediceum, Guelferbytanum, Robortellianum (hunc quidem addita dubitationis significatione), Regium L. ex eodem fonte derivatos dicit p. 5., id quodammodo et verum est et falsum; verum, si illud iudicium ita interpretamur, ut antiquis temporibus ex uno codice varia apographa facta ex iisque deinceps nostros libros ductos esse statuamus; falsum, si hos ipsos ex uno eodemque libro nullo aliorum apographorum interiectu transscriptos existimamus. Nam, ut imagine quadam librorum naturam designem, omnes non pro filiis, sed pro nepotibus unius libri habendi videntur. Ex communi autem fonte omnem quae hodie fertur scripturae varietatem fluxisse, ingens vitiorum gravissimarumque corruptelarum multitudo docet, quibus nihil auxilii ex codicibus aut editionibus parari potest. Neque tamen quae intercedit inter libros similitudo tanta est, ut omnes ad unam familiam referre queas. Potius varietatis exempla perlustrantibus ea nobis se offert discrepantia, ad quam explicandam diversarum familiarum cogitatione opus esse videatur.

Ac primum quidem Guelferbytanum codicem et Aldi editionem ad unam familiam pertinere, ex eo intelligitur, quod illius scriptura tam prope ad huius similitudinem accedere dicitur, ut quin ea ex G. expressa sit non dubitandum videatur. In qua re sequenda mihi est Ahrensii sententia p. 4., qui nova codicis G. collatione usus meliorem de ea re iudicandi conditionem habebat. Ex ea collatione patere affirmat, multas A. lectiones a G. ut antea videbatur diversas in ipso illo libro exstare.

Iam quum horum librorum maxima similitudo sit summaque convenientia, quaeritur, num reliqui (M. R. P.) ab iis adeo discrepent, ut diversam familiam efficere existimandi sint. Ad quam quaestionem antequam accedam, hoc primum monebo, quum in P. permagna inveniatur lectionum ad nullum alium librum pertinentium multitudo, videri eum cum nullo in familiae societatem coniungi posse. Etenim quas ipse solus habet scripturas, eae multis locis tam longe a reliquorum consentiente fere auctoritate librorum recedunt, ut, quum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

neque fortuitis scribendi erroribus neque importuno corrigentis studio tribui queant, ex alio atque ceteri fonte repetendae esse videantur. Diversae autem originis suspicionem movent haec discrepantiae exempla: v. 8.: φυλαξάνορος. γρ. φυξάνορος. v. 51. μιασαμένα. v. 90· δὲ ἐπιδὼν. v. 192. ἀμείβεθ'. v. 245. ἢ τηρὸν ἕρμοῦ. v. 289. ἰδεῖν ante relicta lacuna. v. 316. πεντηκοντόπαις. (319. ἀνθήσας, sed teste Faehsio ἀνστήσας, ut rel.). v. 349. νεοδρέπτοις. 364. κοινῶσαι. 381. δυσπαρθενήτοις. 388. ὕπαντρον. 423. μήτι τ' ἄϊσταν ἱκέτιν κατιδεῖν. 477. ἄλλων. 500. τί θράσος. 613. πλατῦναι, quod in aliis pro var. lect. affertur. 669. ὄλβιος. 672. φέρτατι. 679. ἀσφαλίας. 707. θήσω. 713. σὺν. 763. ἀμπετάσας δὲ. 779. ἀρτάναις. 771. τῷδε χριμφθῆναι sine χεροῖν teste Faehsio. 833. ἀτίταν, ἄπολιν. 844. βαθυμητροκακαπαθῶν. 850. εὐρυχωρείαις.[a] 863. κροτίοσα. 884. ἐπεὶ οὐ κακοῦ ἔξω. 921. κέκραται. 1007. θαλερόν. 1021. δὲ φίλαι. 1024. πειθοῖ. Conficitur res eo, quod is codex solus v. 40. omittit, v. 740., qui in omnibus libris deest, exhibet.

Supersunt codex Med. et editio Robortelli, quos libros ut unius familiae vinculo comprehendamus, maxime trium versuum defectu (513—515.) ad utrumque librum pertinente admonemur. Accedit ingens exemplorum multitudo, in quibus M. et R. contra A. et G. consentiunt. In eorum enumeratione etiam illorum rationem habere licet, in quibus P. cum M. et R. congruit. Etenim is liber, quamvis multa solus habeat, in nullo alio reperta, plurimis tamen locis cum M. et R. consentit, admodum paucis cum G. et A. Ad familias autem quas dixi discernendas haec maxime exempla apta sunt; quae ita enumerabo, ut numeri signis statim M. et R. lectiones subiiciam, ab his autem id quod est in A. et G. disiungam.

V. 15. κέασαι — κείασε (καίασε A.) 43. τὰς (τᾶς) — ταῖς. v. 47. δ' — τ'. v. 77. κἀκ π. — κακοπ. v. 115. καλύπτρᾳ — καλύστρᾳ. v. 129. συμπνοιαῖς — ἂν πνοιαῖς. 175. προμήθειαν — προμηθίαν. 180. λεύσω — λεύσσω. 241. πόλλ' — πολύ. 245 ἀγόν — ἄγων. 247. εἰμ — οἶμ'. 284. τὰς — τάν. 287. ἀργεῖον — ἀργείων. 298. χυρὰ — ὀχυρά. 341. λεύσων — λεύσσων. 345. ἱκέτιν — ἱκέτην. 355. κλαρίου — ἱλαρίου. 362. μελέσθω — μελέσθων. 384. τοῖσδ' — τίς δ'. v. 410. θησόμεθ' — θήσομεν. 422. φύλαξαι — φυλάξε. 433. ἐξοκ. — ἐξωκ. 466. ἐσέβηκα — ἐσέβηκε. 546. κιλίκων — κυλίκων. 548. ἀενάους — ἀεννάους. 551. εἰσικνουμένου — εἰσικνουμένη. 601. ὥστ' — ὡς. 606. ἐπηλύδων — ἐπηλίδων. 611. ζηνὸς — διὸς. 622. ξένιος — ξενίοις. 624. ἀμέμπτων — ἀμέμπτως. 626. γένει — γένη. 670. πάσᾳ — πᾶσαν. v. 675. (vide supra) 694. λαίφους — λέφους. 695. πλοῖον — πλεῖον. 700. μελαγχίμοις — μελαγχίμους. 710. τρέσαιτέ νιν — τρέσηταί νιν (τρέση ταίνιν) 719. παροίχομαι — παρείχομαι. 725. τάχει — τύχει(η). 730. μονωθεῖσ' — μονοθεῖσ'. 738.

---

a) Wellauerus quidem Butlerum secutus εὐρυχωρείας Mediceo tribuit; sed id errore factum esse ex eo intelligitur, quod Faehsius εὐρυχωρείαις in P. in esse testatur, et quod novissimus Medicei collator nihil de hoc loco monuit. Is enim, qui in hac carminis parte satis diligens fuisse videtur, tam memorabilem lectionem non neglexisset. Quod autem ab illis εὐρυχωρείας scribitur, id merus error videtur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἀνιέρῳ μένει — ἂν, ἐρομένει. 784. φιλαιάκτων — φίλαι ἐκ τῶν. 793. βίαια — βία (βίαν). 809. ἀμφαίνω — ἐμφαίνω. 907. ἀβουκόλητον — ἀβουκόλυτον. 863. βροτίοσα — βροστίοσα. 872. δίπους — δίπου. 894. ἠμπλάκηται — ἠμπλάκημε. 903. 916. εἴσθι (ἴσθι) — ἴσως γ' (οὐ). 962. φίλου — φίλους. ibid. αὐτανεψίους — ἄτα νεψίους. 963. ἐμοὺς — ἐμοῦ. ibid. τούςδε — τοῦδε. 976. ὀπώρα δ' — δ' ὀπώρα δ'. 978. — στιβῆ — — τριβῆ. 987. πράξωμεν — — πράξομεν. 1002. αἶνος — ἐνὸς. 1003. σέβωμεν ὕμνοις — σέβομεν ὕμνους. 1014. κυθερείας — κυθέρειος. 1038. ἀπαλέξαι — ἀταλέξαι.

Videmus igitur nostram sententiam magna exemplorum copia confirmatam, ut illud minime dubitari queat, quin A. et G. ex alio fonte manaverint, atque M. et R. Ac multo maiorem versuum multitudinem afferre potuissemus, si ubique de G. scriptura nobis constaret; quae quum plerisque locis ad A. accedere dicatur, A. autem paene singulis versibus ab M. et R. discrepet, quanta sit duarum familiarum diversitas facile perspicitur. A reliquis autem libris A. his fere locis differt. v. 47. 53. 61. 62. 89. 104. 116. 130. 136. 138. 166. 174. 178. 182. 190. 191. 194. 207. 212. 238. 249. 253. 261. 266. 269. 272. 280. 285. 293. 302. 303. 314. 319. 323. 326. 329. 331. 334. 342. 348. 382. 387. 388. 408. 410. 426. 428. 429. 450. 453. 459. 460. 465. 474. 482. 483 496. 500. 506. 508. 510. 521. 533. 534. 538. 574. 582. 603. 614. 618. 622. 626. 632. 635. 653. 654. 659. 663. 675. 679. 694. 706. 723. 724. 725. 727. 728. 734. 735. 737. 742. 750. 755. 756. 758. 759. 788. 789. 793. 799. 800. 801. 807. 816. 822. 823. 825. 832. 839. 848. 856. 893. 903. 907. 911. 912. 918. 925. 934. 944. 956. 960. 962. 979. 981. 984. 998. 999. 1000. 1002. 1008. 1028. 1031. 1041. 1051. 1053. 1058. His exemplis plerumque ea non addidimus, ubi in A. litterae male in singulas voces distributae aut accentus aliter notati sunt.

Hoc igitur quum certum sit, A. et G. diversam efficere familiam ab ea, qua M. et R. comprehendimus, hoc ipsum aliquis mirari possit propter insignem discrepantiam, quae est inter M. et R. Quae res ne nostro iudicio obstare videatur, de varietate, qua M. et R. disiunguntur, paullo explicatius dicam. Ac primum quidem hoc tenendum est, non loqui nos de ipsa Rob. editione, sed de codice eo, ex quo editor Supplices expressit. Iam vero, quum nesciamus, qua fide Robortellus codicis sui vestigiis institerit, aliquot locis, ubi eius editio a M. discedit, editorem aliorum librorum auctoritatem secutum esse non est incredibile. Suspicatus hoc est Wellauerus de codice Parisiensi (Tom. II. p. VII.), cuius sententiam non recte intellexisse Ahrensius videtur p. 4. Sed in Supplicibus quidem admodum pauca vel potius nulla exempla inveniuntur, quibus eiusmodi suspicio confirmari queat. Equidem duas scripturas inveni, quas quis Robortellum ex P. hausisse credat; quarum altera est ἀφθόνῳ a) v. 317. pro ἀφώνῳ, quod M. et A. habent. Sed vereor ne codicis

a) Butlerus quidem utrique libro ἀφθώνῳ tribuit; sed quum in R. ἀφθόνῳ exstet, idem etiam ad P. pertinere plus quam verisimile est. Quare ne quis Wellaueri adnotatione ad h. l. decipi se patiatur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Robortelliani librarius veram scripturam, quam P. servavit, coniectura invenerit; quam suspicionem infra multis exemplis confirmabo. Altera lectio est v. 569. κραίνων, quod in utrumque librum e scholiis irrepsisse puto. Multo probabilius est, Robortellum nonnulla, quae a M. abhorrent, ex Aldo recepisse, quamvis eius editionem acerbissime vituperet. Quanquam ne eius quidem rei certa argumenta exstant, quoniam in eiusmodi exempla verendum est ne idem cadat, quod de ἀφθόνῳ diximus. Accedit quod de M. scriptura saepe parum constat. Nam ego quidem minime dubito, quin plena huius libri cognitio magnam discrepantiae partem, qua nunc R. et M. seiungi videntur, sit sublatura. Sed longe plurima exempla, quibus horum librorum dissensio continetur, apertis coniecturis eius, qui Robortelli codicem scripsit, debentur. Hanc sententiam quum suo loco ita sim comprobaturus, ut omnis dubitatio tollatur, hoc iam pro certo ponere licet, codicem Mediceum et eum, quo Robortellus usus est, ex uno eodemque libro transscriptos esse. Quae quum ita sint, hoc fere schemate librorum, de quibus disputavimus, cognationem illustrare licet:



Hinc facile perspicies, non verum esse id, quod Ahrensius p. 5. dicit, ubi Rob. cum M. conspiret, lectionem ubique fere antiquiorem ceteris putandam esse. Ubi enim hi libri consentiunt, habemus eam scripturam, quae fuit in β. Longe gravior est iis lectionibus auctoritas, quae in M. et A. exstant. Ex his enim, quum non verisimile sit, a diversis hominibus variis temporibus eodem modo erratum esse, de β et γ consensu coniectura fieri potest; in qua convenientia multo plus ponderis inest, quam in unius γ auctoritate. Maior igitur fides iis scripturis habenda est, quae ad diversarum familiarum libros pertinent, quam iis, in quibus una familia alii repugnat. Quoniam autem harum numerus longe est maior, ut de quoque loco recte iudicetur, iam hoc maxime agendum est, ut cuiusque familiae dignitas atque fides exploretur. Hinc enim nostrum iudicium pendebit in talibus locis, ubi familiae inter se discrepant, variae autem lectiones per se pariter bonae vel certe tolerabiles videntur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf